

pecunia, classes, nautae, milites, socii, quibus rebus incolūmitatem ac libertatem retinent civitates; alia vero, quae jam quiddam magis amplum, et minus necessarium conficiunt, ut urbis egregia exornatio atque amplitudo, ut quaedam excellens pecuniae magnitudo, amicitiarum ac societatum multitudo. Quibus rebus non illud solum conficitur, ut salvae et incolūmes, verum etiam, ut amplae atque potentes sint civitates. Quare utilitatis duae partes videntur esse, incolūmitas et potentia. Incolūmitas est salutis tuta atque integra conservatio; potentia est ad sua conservanda, et alterius obtinenda idonearum rerum facultas. Atque in iis omnibus, quae ante dicta sunt, quid difficulter fieri et quid facile fieri possit, oportet considerare. *Facile* fieri id dicimus, quod sine magno, aut sine ullo labore, sumtu, molestia, quam brevissimo tempore confici potest. *Difficile* autem fieri, quod quamquam laboris, sumtus, molestiae, longinquitatis indiget, atque aut omnes, aut plurimas aut maximas causas habet difficultatis; tamen, his susceptis difficultatibus, compleri atque ad exitum perduci potest.

Tusc. IV. c. 4. Est Zenonis haec definitio, ut perturbatio sit, quod *πάθος* ille dicit, aversa a recta ratione, contra naturam animi commotio. Quidam brevius, perturbationem esse appetitum vehementiorem; sed vehementiorem eum volunt esse, qui longius disceserit a naturae constantia. Partes autem perturbationum volunt ex duobus opinatis bonis nasci, et ex duobus opinatis malis. Ita esse quatuor; ex bonis *libidinem*, et *laetitiam*: ut sit laetitia, praesentium honorum; libido, futurorum. Ex malis *metum*, et *aegritudinem* nasci censent; metum, futuris; aegritudinem, praesentibus. Quae enim venientia metuuntur, eadem afficiunt aegritudine instantia. *Laetitia* autem et *libido* in honorum opinione versantur, quum *libido* ad id, quod videtur bonum, illecta et inflammata rapiatur; *laetitia*, ut adepta jam aliquid concupitum, efferatur et gestiat. Natura enim omnes ea, quae